

380 (Q. 387) De Missa in aliena Ecclesia

Celebrantes, ad quemcumque Clerum, sive Sæcularem sive Regularem, pertineant, et quacumque in Ecclesia, aut quocumque in Oratorio, publico vel semipublico, Missam celebrent.

Pro Regularibus speciatim declaravit S. Rituum Congregatio, quod, etiamsi color paramentorum pro Missa in Ecclesia in qua celebrant, sit idem ac sui Officii proprii, et nonobstantibus privilegiis ipsis concessis pro Missis propriis dicendis, debent ipsi se conformare, et comprehenduntur sub Decreto 9 Decembris 1895 edito. (Decret. 8 Februarii 1896, n. 3883.)

Item declaravit S. Rituum Congregatio, quod, ubi Sacerdos, Sæcularis aut Regularis, quoad Missæ celebrationem addictus est Oratoriis competenti auctoritate erectis in Gymnasiis, Hospitalibus ac Domibus quarumcumque piarum Communitatum, hic, si sit sæcularis, tenetur sequi Kalendarium Diœcesis, in qua exstat Oratorium; et si Regularis, debet relinquere Kalendarium Ordinis, quatenus proprio gaudeat; et si ibi aliquando celebrant extranei, hi debent se conformare Kalendario Sacerdotis ejusmodi Oratoriis addicti: dummodo Oratoria illa habenda sint ut publica; secus vero non. (Decret. 27 Junii 1896, n. 3919, ad 17.)

Addictus vero dicitur Oratorio Sacerdos, in hoc Decreto, quatenus in hujusmodi Oratorio celebrat, non tamquam Parochus, aut Rector, sed ex commissione Ordinarii; nihilominus Oratorium pro ipso extraneum est.

Etenim ex eo quod aliqua Religiosa Familia onus suscipit, aliquem e suo gremio mittendi ad aliquod Oratorium publicum, vel semipublicum, alicujus servitii causa, puta pro Missa celebranda, non inferri potest, dictum Oratorium ejusdem Familiæ proprium vel quasi proprium evadere; hoc tantum verificaretur, si Ecclesia, aut Oratorium, uti possit et debeat Kalendario Celebrantis. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 164-166.)

Item declaravit S. Rituum Congregatio, quod Missæ, quæ celebrantur a Religiosis in Oratoriis piarum Sororum seu Religiosarum, quæ proprium Kalendarium non habent, conformes esse debent Kalendario

De Missa in aliena Ecclesia (Q. 388) 381

Diœcesano, non vero Kalendario Religiosorum; et quidem petitum privilegium, quo Religiosi juxta suum Kalendarium celebrare valeant, non fuit concessum. (Decret. 17 Julii 1896, n. 3927, ad 1 et 2. — Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 93-98.)

Itaque Sacerdos, sive Sæcularis sive Regularis celebrens, esto ex caritate, in Sacello piæ Congregationis, tenetur dicere Missam loci Kalendario conformem, si Cappella uti publica, aut semipublica tenenda est.

Q. 388. Quænam Missa dicenda est, ut satisfiat præcepto Decreti de Missa in aliena Ecclesia; et ad quasnam Missæ partes se extendit obligatio conformatio-

R. Prænotatur: Antiquitus Missæ propriæ, tum Ecclesiarum, tum Regularium, non poterant a Sacerdotibus extraneis, nequidem in his Ecclesiis, aut apud Regulares dici; et, ubi aliquando, ratione normæ conformitatis tunc exstantis, de aliquo Sancto ab extraneis Missa erat dicenda, relicta Missa propria, quæ non inscripta erat in ipso proprie dicto Missali Romano, debebat ab extraneis dici Missa e Communi Sanctorum sumpta.

Magnum etiam erat incommodum antiquitus, quod Missæ de Beatis, quibusdam Diœcesibus, aut Regularibus concessæ, absque speciali Indulto, ab aliis Sacerdotibus extraneis non poterant celebrari; ita ut in quibusdam casibus, diversi nempe coloris, Sacerdos extraneus ad celebrandum deberet in aliam Ecclesiam pergere.

I. Juxta Decretum 9 Decembris 1895, Sacerdotes Missam celebrantes in aliena Ecclesia, aut Oratorio, conformiter Officio hujus Ecclesiae, vel Oratorii, debent Missam dicere sicuti præscribitur pro hac Ecclesia, vel pro hoc Oratorio; et si propria est Missa, pro parte, vel pro toto, etiam pro Regularibus, omnes Celebrantes debent Missam propriam dicere.

Per Missas proprias intelliguntur illa Missarum formularia (cfr. Q. 13), quæ diversa in diversis Missis sunt, quarumque partes sunt: Introitus, Oratio, Epistola, Graduale cum suis adjunctis, Evangelium, Offertorium, Secreta, Communio, Postcommunio; quibus adjungi debet nonnumquam Præfatio.

382 (Q. 388) De Missa in aliena Ecclesia

Quod si alicui Ecclesiæ, aut Oratorio, etiam Regularium, indulta sit Missa de aliquo ex nondum Canonizatis, seu de Beato, omnes in eis celebrantes possunt et debent Missam de Beato dicere.

II. Conformitas requisita ad omnes et singulas Missæ partes sese extendit, et perfecta esse debet; Decretum enim præscribit ut Sacerdotes Missas « omnino » celebrant Officio Ecclesiæ vel Oratorii conformes.

Inferes: Celebrantem in aliena Ecclesia, aut Oratorio publico vel semipublico, teneri negligere omnino suum proprium Kalendarium, nec posse Officii sui proprium ritum considerare, sive simplex sit, sive semiduplex, sive duplex, imo etsi classicus.

Item: teneri negligere suum Kalendarium, sive quoad Symbolum, sive quoad Commemorations, sive quoad Præfationem, etc. (Decret. S. Rituum Congregationis, 3 Julii 1896, n. 3924, ad III.)

Item: Celebrantem in aliena Ecclesia, aut Oratorio, ubi fit idem Officium quod dixit Celebrans, sed ubi habetur Missa propria, hanc propriam debere dicere; — Celebrantem qui propriam habet Missam ejusdem Officii, teneri in Ecclesia aliena, aut Oratorio, ubi de Communi est, relinquere suam Missam propriam, et legere Missam de Communi. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, X, 1896, pag. 704.)

Conformitas etiam se extendit ad Orationem ab Episcopo imperatam (cfr. Q. 103, III): Celebrans debet dicere eam Orationem quæ imperata est in Diœcesi, seu loco ubi celebrat, et non potest dicere eam Orationem quæ imperata est in loco unde ipse est, seu a suo proprio Episcopo. (Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Martii 1898, n. 3985.) Non valet dicere, Sacerdotem, in casu peregrinum, non esse subjectum legi locali: Decretum 9 Decembris 1895 omnem libertatem in hac parte aufert. Et si Sacerdos, permittente ritu Ecclesiæ alienæ, aut Oratorii, Missam dicit suo proprio Officio conformem, dicere tamen debet Orationem quæ imperata est in Diœcesi ubi celebrat.

Notat vero Decretum, quod conformitas non se extendit ad ritus proprios Regularium, qui manent vetiti; itaque illæ Missarum Orationes, quæ numquam muta-

De Missa in aliena Ecclesia (Q. 389) 383

tioni subjacent, et quæ describuntur in Missali Romano, in Ordine Missæ, et Canone, dici numquam possunt juxta peculiarem normam quibusdam Religiosis, ex. gr., Dominicanis propriam; sed omnes cærenoniæ et ritus peragi, omnes preces dici debent sicuti in Romano Missali pro his partibus sunt præscriptæ.

(Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrifici, Q. 149, ubi exempla proponuntur pro Missali adhibendo.)

Q. 389. *In quibusnam casibus debet observari conformitas Missæ cum Officio alienæ Ecclesiæ? In quibus non? Et quid tunc observandum est?*

R. I. Conformitas Missæ celebratæ in aliena Ecclesia, aut Oratorio publico vel semipublico, cum Officio hujus Ecclesiæ, aut Oratorii, debet observari, quando Officium hujus Ecclesiæ, aut Oratorii, est ritus duplicitis, aut æquivalentis, talis nempe, qui Missas votivas privatas, vel Missas de Requiem excludit.

II. Nova norma Decreti 9 Decembris 1895 non tenet, quando in Ecclesia, aut Oratorio, agitur Officium ritus semiduplicis, aut inferioris, talis scilicet, qui Missas votivas privatas, vel Missas de Requiem admittit.

III. In casu Officii ritus semiduplicis, quando scilicet in Ecclesia, aut Oratorio, ubi Missa celebratur, dici possunt Missæ votivæ privatae, et Missæ de Requiem, unicuique ex Celebrantibus in hac Ecclesia, vel in hoc Oratorio, libertas plena manet dicere Missam, vel conformem proprio Officio, vel conformem Officio Ecclesiæ, aut Oratorii, ubi celebratur, vel votivam, vel de Requiem, vel de occurrenti Feria.

Si Sacerdos in casu vult celebrare Missam suo Officio conformem, eam celebrabit omnino qualiter suum Kalendarium eam præscribit; nam Missa hujusmodi, conformis Officio Celebrantis, sive sit de semiduplici, sive de quocumque duplice, etiam classico, non est votiva, nec more votivo dicenda, sed est festiva, uti declaravit S. Rituum Congregatio, per Decretum 14 Martii 1896 (n. 3892, ad 5.).

Ad rem afferri etiam potest sequens S. Rituum Congregationis Decretum: Ad dubium: « Quando Sacerdos recitans Offi-

384 (Q. 389) De Missa in aliena Ecclesia

cium de Festo aliquo, in quo occurrit dies infra Octavam et Festum simplex, de quibus sola commemoratione facta est, et celebrans in Ecclesia ubi Officium ritus duplici inferioris agatur, velit recitare Missam de die infra Octavam vel de Sancto simplici, istane Missa Votiva seu more votivo dicenda erit; vel potius festiva et ut in Festo celebranda? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit: « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam. » (Decret. 24 Aprilis 1899, n. 4020.) Ergo celebrabit istam Missam non uti votivam seu more votivo, sed uti festivam et uti in Festo. (Cfr. Q. 238.)

Nihilominus Celebrans, ut dictum fuit in responso ad Quæstionem præcedentem, debet dicere Orationem imperatam in Diœcesi in qua celebrat, juxta regulas pro hac Oratione traditas QQ. 103-106; proinde eam omitteret, si Officium suum esset, ex. gr., ritus duplicitis I classis.

Quoad recitationem Symboli in Festo et per Octavam tum Patroni loci, tum Titularis Ecclesiæ, observanda sunt ea quæ proponuntur Q. 148.

INDEX

<i>Notiones præviae</i>	1
§ 1. De nomine Missæ, et de Missarum distinctione	1
§ 2. De Missali Romano	14
§ 3. De Rubricis Missalis Romani	31

SECTIO I

De diversis Missæ partibus	35
CAPUT I. De Psalmo « Judica » et Confessione	36
CAPUT II. De Introitu, et « Kyrie eleison »	38
CAPUT III. De Hymno « Gloria in excelsis »	42
CAPUT IV. De Orationibus	45
Articulus I. De Orationum structura	48
Articulus II. De Orationum numero	50
Articulus III. De Orationum speciebus et ordine	52
§ 1. De Commemorationibus specialibus	53
§ 2. De Orationibus ordinariis, seu de Commemorationibus communibus	58
§ 3. De Orationibus Votivis	64
Appendix. De Orationibus Votivis late dictis	65
§ 1. De Oratione SS. Sacramenti expositi	65
§ 2. De Oratione in Anniversario Creationis et Coronationis Summi Pontificis; necnon in Anniversario Electionis et Consecrationis, vel Translationis Episcopi Ordinarii	72
§ 3. De Oratione imperata	76
Articulus IV. De Orationum conclusione	82
Articulus V. De Orationum mutatione	88
Articulus VI. De Orationibus quibusdam determinatis	94
§ 1. Oratio « A cunctis »	94
§ 2. Oratio « ad libitum »	99
§ 3. Oratio de B. Maria Virgine	101
§ 4. Oratio « Ecclesiæ », vel pro Papa	102
§ 5. Orationes « Fidelium », et aliæ pro Defunctis	103
CAPUT V. De Epistola, — de Graduali, Alleluia, Tractu, et Sequentia, — de Evangelio	109
CAPUT VI. De Symbolo	119
CAPUT VII. De Offertorio, et quæ sequuntur, usque ad Secretas inclusive	127
CAPUT VIII. De Præfatione	136
CAPUT IX. De Canone Missæ	145
CAPUT X. De Oratione Dominicæ, et aliis usque ad factam Communionem	165